



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

Bernardus <Claraevallensis>

In Circumcisione Domini.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39254

*Larga Dei
bonitas in
querenda ho-
minis salute.*

h Ican. 17.a

tes. Magis autem solliciti & timorati, agamus gratias benignissimo & largissimo Salvatore, qui humanæ salutis occasiones tam copiosa charitate perquirat, ut in his voluntatem & opus, in his sine opere voluntatem, in his etiam sine voluntate opus salutis invenire lætetur, qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem sui venire. Hæc est enim vita æterna ^b, ut cognoscamus patrem verum Deum, & quem misit JESUM Christum, qui unus cum eo verus est Deus super omnia benedictus in sæcula. AMEN.

IN CIRCUMCISIONE DOMINI.

SERMO I.

*Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur Puer,
vocatum est nomen eius Iesus a.*

Luc. 2.c

Levit. 21.b

*Christi humi-
litas omni
peccato caven-
tis & pecca-
toris cauteriū
non detre-
stantis.*

*Præposterus
hominum pu-
dor, & super-
bia, qui non
erubescunt
peccare, sed
penitere.*

AUdivimus paucis expressum magnum pietatis Sacramentum. AUdivimus congruam lectionem Verbo abbreviato, quod fecit Dominus super terram. Abbreviatum enim in carne, ampliùs abbreviatur suscepta etiam carnis circumcissione. Minoratus paulominus ab Angelis Dei filius humanam naturam induit, sed jam nec ipsum respiciens remedium humanæ corruptionis, plane multo minoratus ab eis. Habes igitur hîc magnum fidei documentum; habes & manifestum humilitatis exemplum. Ad quid enim tibi circumcissio necessaria, qui peccatum non commisisti, nec contraxisti? Quod ipse non feceris, ætas manifestat: quod non contraxeris, multo certius probat Patris divinitas integritas Matris. Summus Sacerdos es, quem nec super patre nec super matre contaminandum, prophetatum est in lege ^b, potiùs quàm mandatum. Est enim tibi Pater ab æterno, sed Deus est, in quem peccatum non cadit. Est & Mater ex tempore, sed virgo, nec parere potuit incorruptio corruptelam. Super hæc omnia circumciditur Puer, Agnus sine macula. Et si non eguit, tamen voluit circumcidi. Nec refugium quidem ullum vulneris habens, alligaturam non refugit vulneris. Non sic impii, non sic, non sic agit perversitas elationis humanæ. Erubescimus vulnerum ligaturam qui de vulneribus interdum etiam gloriamur. Quem nemo potest arguere de peccato, ipse peccati remedium & verecundum pariter & austerum sine ulla necessitate suscepit, nec repulit cultrum lapideum, in quo solo vetus illa quæ raderetur rubigo non fuit. Nos è contra inverecundi ad obscenitatem culpæ, erubescimus agere penitentiam: quod extremæ dementiæ est; malè proni in vulnera, peius in remedia verecundi. Qui peccatum non fecit, non dedignatus est se peccatorem reputari; nos & esse volumus, & nolumus æstimari. Itane sano opus est medicina-

medicina, & non potius male habentibus? Imò verò itane eget medicina non æger, sed medicus? Quis hominum tantæ sibi non dicam gloriæ, sed vel innocentiaæ conscius, æquanimiter circumcidentis manum admitteret? Christus verò patienter quæ non rapuit exolvit, qui venerat purificationem facere (non suscipere) delictorum.

Sed dicas: quid ni susciperet parvulus? Imò verò, quidni susciperet humilis & mansuetus? Quidni obmutesceret coram circumcidente, qui coram tondente obmutuit, coram crucifigente siluit? Alioquin non erat illi difficile carnem suam integram conservare ne scinderetur, qui fecerat ne virginalis uteri porta in exitu suo aperiretur. Non erat difficile parvulo prohibere ne caro illa circumcideretur, quando nec mortuo fuit difficile custodire ne corrumperetur. *Postquam ergo consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus.* Magnum & mirabile Sacramentum. Circumcitur puer, & vocatur *Iesus*. Quid sibi vult ista connexio? Circumcisio nempe magis salvandi, quàm Salvatoris esse videtur, & Salvatorem circumcidere decet quàm circumcidi: Sed agnosce mediatorem Dei & hominum, qui ab ipso nativitatæ suæ exordio divinis humana sociat, ima summis. Nascitur ex muliere, sed cui foecunditatis fructus sic accedat, ut non decidat flos virginitatis. Pannis involvitur, sed panni ipsi Angelicis laudibus honorantur. Absconditur in præsepio, sed proditur radiante stella de cælo. Sic & circumcisio veritatem susceptæ probat humanitatis, & nomen quod est super omne nomen, gloriam indicat maiestatis. Circumcitur tanquam verus Abrahæ filius: JESUS vocatur tanquam filius Dei. Neque enim ad instar priorum meus iste Iesus, nomen vacuum aut inane portat. Non est in eo magni nominis umbra, sed veritas. Coelitus siquidem inditum nomen Evangelista testatur: *quod vocatum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur.* Et attende verbi profunditatem. Postquam natus est JESUS, JESUS vocatur ab hominibus, qui vocatus est ab Angelo priusquam in utero conciperetur. Idem quippe & Angeli Salvator & hominis: sed hominis ab incarnatione, Angeli ab initio creaturæ.

Christi circumcisio veritatem susceptæ humanitatis probat.

Vocatum (ait) nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo. In ore ergo duorum vel trium testium stat omne verbum: & ipsum quod in Propheta abbreviatum, manifestius in Evangelio legitur caro factum. Nos, Fratres mei, nos respicit hæc parabola. Christus enim nec Angelico eguit testimonio, nec humano, sed ut scriptum est ^c, omnia propter electos. ^{c 2. Tim. 2. b} Triplex proinde quærendum nobis salutis propriæ testimonium, ne forte videamur assumpsisse nomen DEI nostri in vanum. Et nos enim, fratres, circumcidi necesse est, & sic nomen salutis accipere:

Sermones S. Bernardi,

Q

circumcidi

circuncidi sanè non litera, sed spiritu & veritate? circuncidi non uno membro sed toto corpore simul. Licet enim magis in ea parte in qua mandata est Judæis circuncisio, regnet additamentum Leviathan, quod à malo est, & amputari debet, universam tamen occupat carnem. A planta pedis usque ad verticem non est in nobis sanitas, nec est aliqua pars, quæ non tabida sit hoc veneno. Propterea sicut parvulus adhuc in fide & dilectione populus congruum sibi mandatum exiguæ circuncisionis accepit, sic ubi crevit in virum perfectiorem, toto jubetur corpore baptizari, quæ totius est hominis integra circuncisio. Hinc est quod Salvator noster & circuncidi octavo die, & post annum tricesimum dignatus est crucifigi, ubi in pœnam corpus omne distensum est: cuius similitudini mortis complantamur & nos, ut scribit Apostolus ^d, nimirum quod novissimè traditum est observantes.

^d Rom. 6

^e 1. Tim. 6. d

Quæ est ergo moralis circuncisio nostra, nisi quam commendat idem Apostolus, *Victum*, inquit ^e, & *vestitum habentes, his contentissimi*? Optimè prorsus circuncidit nos & superflua resecat universa, voluntaria paupertas, pœnitentiæ labor, regularis observatio disciplinæ. Cæterum in hac circuncisione triplex nobis quærendum est salutis nostræ testimonium, ab Angelo & Maria & Joseph. Oportet, inquam, ut ante omnia nobis magni consilii Angelus salutis nomen imponat. Dehinc & ipsius quoque congregationis necessaria est attestatio, quæ tanquam mater est singulorum. Mater, inquam, virgo tanquam ea quam despondit

Triplex nostræ salutis testimonium, à conscientia, ab Ecclesia, à Præfato.

^f 1. Cor. 11. b

Apostolus ^f uni viro virginem castam exhibere Christo. Sed nec ipsius ministri contemnendum est testimonium ei qui imitari quærit Salvatoris exemplum. Hic est Ioseph, locum quidem obtinens sponsi; re autem vera servus & dispensator: qui sanè pater vocatur, magis autem nutritius est.

Sed dico eadem manifestius. Et ab his qui foris sunt, fratres mei, & ab eo qui intus est, habere oportet testimonium bonum. Cuius enim omnibus grata, nemini onerosa est conversatio, huic sine dubio propria de salute universa fratrum congregatio attestatur. Frustra planè super his duntaxat quæ sunt in manifesto, nequissimus ille fratrum accusator trahit in causam, quem excusat universitas fratrum. Habet & à Prælati testimonium quisquis & peccata sæcularis vitæ, & huius quoque temporis negligentias (quoniam in multis offendimus omnes ^g, nisi forte sanctiores nos arbitramur Discipulo ^h, quem dilexit Iesus) humili eis & pura confessione iudicanda semper exponit, & eorum satisfacere studet arbitrio. Jam ne in his quidem pessimi illius timenda est accusatio, quoniam non iudicabit Dominus bis in idipsum. At fortè crimi-

^g Iacob. 3. b
^h 1. Ioan. 1.
Si dixer. quia pec. non habem. ipsi nos seduc. & veritas in nobis non est.

nari

In Circuncisione Domini, Sermo II. 107

nari volet intentionem, & in ea parte calumniam struere machinabitur, in quo nec fratrum, nec ipsius patris testimonium satis efficax videatur. Necessè est ergò ut in hac parte opituletur nobis testis internus, qui magis cor quàm faciem intuetur. A quo sanè & incipiendum est, ut non prius quicquam concipiatur in animo, quàm ab eo salutis nomen acceperit. Ubi verò in opus processerit manifestum, expedit jam exteriora quoque sibi testimonia conciliare, sicut ait Apostolus ⁱ: *Providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus.*

ⁱ 2. Cor. 8. c

IN CIRCUNCISIONE DOMINI,

De variis eius Nominibus.

SERMO II.

Postquam consummati sunt dies octo, ut circuncideretur Puer, vocatum est nomen eius Iesus ^a. Ab iniùo Deus modum acceptat, & nihil unquam immoderatum illi placuit æquitati. Hinc fuit, quòd non modo in pondere & mensura & numero condidit univèrsa, sed & protinus ipsi homini modum præscripsit, mandatum contulit dicens ^b: *Ex omni ligno Paradisi comedes, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas.* Levissimum planè mandatum, & larga omnino mensura. Sed transgressus est homo præscriptum sibi modum, & constitutum sibi terminum prætergressus. Unde & avertens ab eo faciem suam Deus, vix tandem in diebus Abrahæ amici sui placabilis fieri incipiens, rursus modum instituit, promulgavit legem, sed non priori similem usquequaque. Ea siquidem ad cautelam fuerat, hæc ad medelam. Ibi prohibitio facta, ne superfluitas subintraret: hic jam indicta abscissio est, ut sacramenti remedio, quæ subintraverat, tolleretur. Postremò illa quidem in arbore data est lex, ne fructu eius vesceretur, hæc in proprio corpore, ut caro præputii scinderetur. Nec dubium sanè quin cætera quoque humani corporis membra additamentum illud Leviathan occuparet venenum scilicet concupiscentiæ, & immoderata atque inordinata illecebra voluptatis, ut generalis quædam abscissio omnibus necessaria videretur.

^a Luc. 2. b

^b Genes. 3. b

De præcepto circuncisionis antiquæ.

Cæterum quia singulorum membrorum abscissionem humanæ carnis fragilitas, & infantilis ætatis infirmitas nullatenus sustineret, pio moderamine dispositio superna providit, ut in ea potissimum parte concupiscentia castigaretur, in qua vehementiùs eam sævire constabat, & violentiùs malignari. In omni siquidem contradicentium spiritui rebellionem membrorum, solum illud usque adeò contumax invenitur, ut contra omnem voluntatis deliberationem ad inhonestos & illicitos motus assurgat. Nam quòd hæc circuncisio octava die fiebat, spem commendabat

Rebellio & concupiscentia ubi potissimum dominetur.

regni cœlestis, quod videlicet ad primum reflexus dierum circulus præferre quandam coronæ speciem videretur. Hinc est quòd octava potissimum dies post solemnitates præcipuas celebratur, & in Sermone Domini ^c, primæ beatitudini copulatur octava, ut cœlestis regni demum iterata promissio, evidenter nobis coronam fabricet.

^c Matt. 5.

Meritò Christus circumcisus vocatur Salvator.

Circumcisionis Christi ratio.

Meritò sanè dum circumciditur Puer qui natus est nobis, *Salvator* vocatur, quòd videlicet ex hoc iam cœperit operari salutem nostram, immaculatum illum pro nobis sanguinem fundens. Neque enim jam quærere est Christianis, cur voluerit Dominus Christus circumcidi: propter hoc siquidem circumcisus est, propter quod natus, propter quod passus. Nihil horum propter se, sed omnia propterea lectos. Nec in peccato genitus, nec à peccato circumcisus, nec mortuus est pro peccato suo, magis autem propter delicta nostra. *Quod vocatum est*, inquit, *ab Angelo, priusquam in utero conciperetur*. Vocatum planè, non impositum, nempe hoc ei nomen est ab æterno. A natura propria habet, ut sit *Salvator*: innatum est ei nomen hoc, non inditum ab humana vel Angelica creatura.

Cur Isaias varia Christi nomina commemorans, non meminit nominis Iesu.
^c Luc. 2.
^d Esa. 9. d

Sed quid dicimus, quod egregius ille Propheta hunc ipsam puerum multis nominibus appellandum fore prædicens, hoc unum tacuisse videtur, quod solum (ut præmonuit Angelus, & testatur Evangelista ^c) *vocatum est nomen eius? Exultavit Esaias, ut videret diem hunc; & vidit, & gavisus est*. Denique & loquebatur gratulabundus & laudans Deum ^d, *Puer natus est nobis, filius datus est nobis, & factus est principatus eius super humerum eius: & vocabitur nomen eius, Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis*. Magna quidem nomina. Sed ubi est nomen, quod est super omne nomen, nomen *Iesu*, in quo omne genu flectatur: Fortè in his omnibus unum illud invenies, sed expressum quodammodo & effusum. Nempe ipsum de quo sponsa in Cantico amoris:

^e Cant. 1. b

Oleum, inquit ^e, effusum nomen tuum.

Pia & elegans expositio nominum Christi, qua Isaias proponit.

Habes ergo unum ex his omnibus appellationibus Jesum: nec omnino aut vocari posset, aut esse *Salvator*, si fortè quippiam horum defuisset. Nunquid non verè *admirabilem* eum singuli sumus experti, in mutatione utique voluntatum nostrarum? Hoc nempe est salvationis nostræ principium, cum incipimus respuere quod diligebamus, dolere unde latabamur, amplecti quod timebamus, sequi quod fugiebamus, optare quod contemnebamus. Admirabilis planè, qui hæc operatur mirabilia. Sed nihilominus & *consiliarium* sete exhibeat necesse est in electione pœnitentiæ, & vitæ ordinatione: ne fortè sit nobis absque scientia zelus, & voluntati bonæ prudentia desit. Sanè opus est ut Deum quoque probemus in remissione videlicet priorum delictorum, quia nec sine hac

salus

In Circuncisione Domini, Serm. II. & III. 109

salus nobis constare potest: & nemo potest dimittere peccata, nisi solus Deus. Verum ne id quidem sufficit ad salutem: nisi *fortem* quoque experiamur in expugnando impugnantes nos, ne ab eisdem rursum concupiscentiis superemur, & fiant novissima nostra peiora prioribus. Videturne jam aliquid deesse Salvatore? Planè deesset quod maximum est, nisi & *Pater esset futuri sæculi*, ut per eum scilicet in immortalitatem resurgeremus, qui per præsentis sæculi Patrem generamur ad mortem. Neque hoc satis, si non etiam *Princeps pacis* Patri nos reconciliaret, cuius traditurus est regnum, ne fortè sicut filii perditionis utique non salutis resurrecturi videremur ad pœnam. Multiplicabitur sanè eius Imperium, ut meritò Salvator dicatur etiam pro multitudine salvandorum: & pacis non erit finis, ut veram noveris esse salutè, quæ non possit timere defectû.

IN CIRCUNCISIONE DOMINI,

De die octavo.

SERMO III.

IN Circuncisione Domini, Fratres, habemus quod amemus & admitemur: habemus etiam quod imitemur. Patet in ea magnum dignationis beneficium, unde gratiam agamus: latet aliquid clausum, quod in nobis implere debeamus. Venit namq; Dominus propter nos non solùm redimendos sanguinis effusione, sed & docendos verbis, & exemplis nihilominus instruendos. Sicut enim penitus erat inutile viam scire; si detineremur in carcere: ita redimi non prodesset, si viæ ignaros qui primus inveniret, primus reduceret in carcerem retrudendos. Itaque in maiore quidem ætate, patientiæ & humilitatis, & super omnia charitatis cæterarumq; virtutum manifesta dedit Salvator exempla; in infantia verò figuris velata.

Sed antèquam ad hæc discutienda veniamus, delectat aliquid prius de tanta & tam manifesta dignatione loqui. Habent Angeli gloriam puram & perfectam: sed nec nos erimus sine gloria. Videmus glòriam eius, gloriam quasi unigeniti à Patre, gloriam misericordiæ, & affectus verè paterni: gloriam procedentis ex corde Patris, & paterna planè viscera exhibentis. *Omnes enim peccaverunt*, ait Apostolus ^a, *& egent gloria Dei*. Et alio loco: *Mihi*, inquit ^b, *absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi*. Quid enim nobis gloriosius, quàm quòd tanti æstimavit nos DEUS? Quæve maior illi gloria, quàm tanta dignatio & tanta benignitas: eo utique dulcissima, quo tam gratuita? Nam pro impiis mortuus est. Videtis quantum fecit, & pro qualibus. Pro qualibus, ut non superbia-mus: quantum, ne desperemus. Propterea ut inveniamini non spiritum habere huius mundi, sed Spiritum qui ex DEO est,

O 3

& scia-

^a Rom. 3. e
^b Gal. 6. d
Gloria homi-
nis est, tanti
æstimatum
esse à Deo.

• Plal. 72. d

& sciatis quæ à Deo data sunt vobis : nolite obsecro fieri, sicut equus & mulus, sed sicut pium iumentum, quod bit ^c : *Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Talia enim iumenta cognoscunt possessorem suum, & præsepe Domini sui : in quo positum est eis piissimum scœnum, ipse qui panis est Angelorum. Ipse enim est panis unius, de quo vivere debuit homo : sed quia homo iumentum factus est, & panis factus est scœnum, ut vel sic vivat de eo.

f Esa. 40. b

Et huius quidem mutationis Sacramentum die Nativitatis celebratum est, quando *Verbum caro factum est*, cum sit omnis caro scœnum ^f. Ipsa ergo die minoratus est ab Angelis, & habitu inventus ut homo : hodie verò mirabilius aliquid audio. Jam minoratus est multo minùs Angelis, qui non solum formam hominis, sed formam habet peccatoris, & infigitur velut quodam cauterio latronis. Quid est enim circumcisio, nisi superfluitatis & peccati indicium? In te Domine Jesu quid est superfluum quod circumcidatur? Nonne tu verus Deus es de Deo Patre, Homo verus sine omni peccato de Virgine Matre? Quid facitis circumcidentes eum? Putatis quia super eum possit cadere illa sententia ^g : *Masculus cuius præputii caro circumcisa non fuerit, peribit anima ipsius de populo suo?* Potest obilvisci Pater Filii uteri sui? Aut non cognosceret eum, nisi signum circumcisionis haberet? Imo verò si quo modo posset non agnoscere Filium, in quo ei bene complacuit, ex hoc maxime signo poterat ignorare eum, inventa in eo circumcisio, quam peccatoribus ipse providerat, ob purgationem utique delictorum. Sed quid mirum si caput pro membris accepit curationem, quam tamen in seipso non habuit necessariam? Nonne & in membris nostris sæpè pro unius infirmitate alteri adhibetur curatio? Dolet caput, & in brachio fit coctura : dolent renes, & fit in tibia. Ita hodie pro totius corporis putredine cauterium quoddam infixum est in capite.

g Genes. 17. b

Christus ut caput nostrum pro membris circumcisionem, velut medicinam suscepit.

Sermo Parabolice ad commendandam Dei misericordiam.

h Ioan. 15. d

Denique quid mirum, si pro nobis dignatus est circumcidi, pro quibus dignatus est mori? Totus siquidem mihi datus, & totus in meos usus expentus est. Ego enim audiens, quia transit ante carcerem Filius magni regis, cœpi altius gemere, & mirabilius exclamare dicens, Fili Dei miserere mei. At ille sicut benignissimus, Quisnam est, inquit, ille fletus & ululatus quem audio? Et dicunt ei, ipse est Adam proditor ille, quem Pater vester trudi fecit in carcerem, donec cogitet quibus illum supplicii faciat interire. Quid ageret, cuius natura bonitas, cui proprium est misereri semper & parcere? Descendit in carcerem, venit ut educat vincitum de domo carceris. Judæi verò non immemores odii quo oderant patrem, exercent illud in Filium, unde & ipse ait ^h : *Quia oderunt me, &*

Patrem

In Circuncisione Domini, Sermo III. III

Patrem meum. Quid ergo fecerunt impij quibus gravis erat etiam ad videndum? *Hic est*, inquit *3*, *heres: venite, occidamus eum.* Si ergo g Matt. 21.d occiderunt Agnum Dei: in suam quidem perniciem, sed in salutem nostram. Ille enim sanguinem Agni fuderunt, nos accessimus, & bibimus illum. Accepimus calicem salutaris: & calix noster inebrians quam præclarus est! Ecce unde gratias agamus. Nam ante paucos dies celebravimus adventum eius in carcerem huius mundi, id est, diem Natalis: hodie verò celebramus quod catenas & vincula nostra suscepit. Hodie Qualis hodierna festivitas. enim qui peccatum non fecit, ut reos absolveret, innoxias manus eorum catenis inferuit: hodie sub lege factus est, qui legem dedit.

Sed dicendum est iam quid in hac circuncisione nobis spiritualiter indicetur agendum. Neque enim sine causa in lege præceptum, nec sine causa completum est in Domino, ut octava die fieret circuncisio. Sed quis cognovit sensum Domini ¹, aut quis Consiliarius eius fuit? Adsit nunc vestris desiderijs Advocatus Spiritus, qui scrutetur alta Dei, & ediferat vobis sacramentum istud octavæ diei. Non ignoramus iam oportere hominem nasci denuò: nam propter hoc secundo natus est Dei filius. In peccatis siquidem nascimur omnes, necesse habemus renasci in gratia, quam in Baptismate quidem percepimus: sed heu totum periit in sæculari vita! Nunc primùm miserante Deo virtus gratiæ in nobis operatur, ut in novitate vitæ ambulemus. Ergo nascitur homo, quando Sol iustitiæ ortus in animo, peccatorum illuminat tenebras, horrendumque Dei iudicium internis obtutibus offert: addens ad terroris vinculum brevem dierum numerum, & finem incertum. Hæc planè vespera est, ad quam demorabitur fletus: necesse est addi matutini lætitiæ, ut auditam faciat nobis misericordiam suam. Sic enim fit vespere & manè dies unus. Est autem *dies ista iustitiæ*, reddens unicuique quod suum est, nobis miseriam, misericordiam Deo. In hac die Puer nascitur, quando ex his quæ diximus, ad amorem penitentiæ, & odium peccati animus excitatur. h Gen. 17.b
Quid nos doceat circuncisio.
Rom. 11.d

Sed periculosum est, si forte velit inter sæculi turbas agere penitentiam: ubi nimirum alii venenatis persuasionebus, alii undique exemplis peioribus ad peccatum alliciant: alii adulationibus in vanam gloriam, alii detractionibus in impatientiam animum eius dejiciant. Procedat iam necesse est prudentiæ radius. Ostendat quantas & quàm importunas præsertim in hac generatione nequam opportunitates & occasiones peccati offerat mundus & ingerat, quàm debilis sit ad illas humanus animus, maximè qui in peccati consuetudine sit nutritus. In hac ergo die prudentiæ eligat de præsentis sæculo nequam fugere, dicens cum Propheta: Octo dies mystici transigendi ante perfectam nostri circuncisionem, & salutaris nominis ademptionem.
1. Dies Iustitiæ.
2. Dies Prudentiæ.

pheta:

i Psal. 25. d pheta ⁱ: *Odivi Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo! Sed*
 nondum sufficit hoc. Fortè enim vult eligere solitudinem, non satisfac-
 tendens propriam infirmitatem, & periculosam diaboli luctam. Quid e-
 nim periculosius quàm solum luctari contra antiqui hostis versutias, à
 quo videatur, & quem videre non possit? Itaque iam habet necessariam
 3. Dies For- fortitudinis diem, ut noverit custodiendum ad Dominum fortitudinem
 titudinis. suam: & aciem multorum pariter pugnantium esse quærendam: ubi tot
 k 2. Cor. 2. c sunt auxiliarii, quot focii: & tales qui dicere possint cum Apostolo ^k:
 Eremitica vi- *Quia non ignoramus astutias inimici.* Congregatio enim pro fortitudine
 ta periculo- sua terribilis est, ut castrorum acies ordinata. Væ autem soli, quia si ce-
 for Cenobi- cederit, non habet sublevantem ^a. Quod si cuiquam ex antiquis Patri-
 tica. bus gratiam hanc concessam audivimus, non expedit temerè se commit-
 a Eccli. 24. c tere huic periculo, nec oportet tentare Deum, sicut & Magister noster de
 † S. Bened. Anachoretis loquens †: *Qui non, inquit, conversionis fervore novitio, &c.*
 in Regul. Itaque in hac fortitudinis die ad id quod jam cœperat, id est, *Odivi Eccle-*
 cap. 1. *siam malignantium*, etiam addit quod sequitur ^l: *Lavabo inter innocentes*
 l Psal. 25. b *manus meas.*

Verùm cum eligit esse in congregatione multorum, nunquid eliget
 esse magister qui nondū discipulus fuit, & docere quod didicit nunquam?
 Et quomodo aut in se, aut in aliis motus irrationabiles poterit tempera-
 re? Nemo carnem suam odio habuit ^m. Quomodo ergo putatis si iam magi-
 ster suus fuerit iste: quin facile sibi aliquando eo amplius quo familiarius
 m Ephes. 5. f condescendat? Illucescat igitur *dies temperantia*, ut quærat quomodo tem-
 4. Dies Tem- perari & refrenari possint incontinentes motus voluptatis, bestiales mo-
 perantia. tus curiositatis, cervicosi motus elationis suæ. Eligat abiectus esse in
 domo Dei sui, & subiectus esse magistro, sub quo frangatur eius voluntas,
 & obedientia fræno concupiscentia reprimatur, sitque quod ait Prophe-
 ta ⁿ: *Imposuisti homines super capita nostra.* Nec dedignandum servo,
 n Psal. 65. c quod præcessit in Domino. Siquidem non est servus maior Domino suo ^o.
 o Ioan. 13. b Ille enim cum iam crevisset atate, sapientia, & gratia apud Deum & ho-
 Christus Pa- mines: cum iam duodecim annorum esset, & remansisset in Hierusa-
 rentibus sub- lem, inventus à beata Virgine & Joseph, cuius Filius putabatur, in me-
 ditus. dio Doctorum audiens illos & interrogans, tamen descendit cum illis, &
 p Luc. 2. g* erat subditus illis ^p. Et tu ergo subditus esto propter illum.

Sed iam tibi in ipsa obedientia via aliqua fortassis dura & aspera
 occurrere possunt, ut accipias interdum præcepta nonnulla, quæ licet sa-
 lubria sint, minus tamen suavia videantur. Hæc si moleste cœperis su-
 stinere, si dijudicare Prælatum, si murmurare in corde: etiam si exterius
 impleas quod iubetur, non est hæc virtus patientia*, sed velamentum
 malitia.

Nota inobe-
dientia.

* lege: obe-
dientia.

malitiæ. Necessè est ergo ut illucescat *dies patientiæ*, per quam omnia dura & aspera tacita amplectaris conscientia: te magis dijudicans, & durius arguens: cui nimirum displicent quæ ad salutem sunt: & in cogitatione tua semper partem magistri quoad potes adversus temetipsum juvans: tæque in omnibus accusare, ipsum verò magis excusare laborans.

5. *Dies patientiæ.*

Porro in hoc loco jam cavendum tibi arbitror à superbia. Magnum est enim omnino sic vincere semetipsum. *Melior est*, ait Salomon 1, *patientis viro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore urbium*. Considera denique quàm manifestè Propheta doceat necessariam esse humilitatem post patientiam, dicens r: *Veruntamen Deo subiecta esto anima mea: quoniam ab ipso patientia mea*. Nonne videtur hic occasione patientiæ tentationem sensisse superbiæ? Necessè est ergo ut illuminet cor tuum *radius humilitatis*, & declaret quid à te sit, quid à Deo, ut non altum sapias: quoniam Deus superbis resistit, humilibus dat gratiam s.

9 Prov. 16. d

6. *Dies humilitatis.*

r Psal. 61. a

fIac. 4. b

Jam verò cum in his diutius fueris exercitatus: roga dari tibi *devotionis lumen*: diem serenissimam, & sabbatum mentis, in quo tanquam e meritum miles, in laboribus universis vivas abique labore, dilatato nimirum corde currens viam mandatorum Dei: ut quos prius cum amaritudine & coactione tui spiritus faciebas, de cætero iam cum summa dulcedine peragas & delectatione. Hanc (ni fallor) gratiam petebat, qui ait t: *Remitte mihi ut refrigerer*. Ac si dicat: Quouique in labore & dolore isto crucior, & morte afficior tota die? Remitte mihi ut refrigerer. Verùm & ad hanc quidem perfectionem pauci (ni fallor) perveniunt in hac vita. Neque enim si quis aliquando videtur hanc habere, continuo credat sibi necesse est: maximè si novitius est, nec per præfatos ascenderit gradus. Pius enim Dominus noster JESUS Christus pusillos corde blanditiis talibus solet allicere. Sed noverint qui huiusmodi sunt, gratiam hanc præstitam sibi esse, non datam: ut in die bonorum memores sint malorum, & in die malorum non immemores sint bonorum. Longè aliter qui exercitatos habent sensus, devotionis huius felici fruuntur iucunditate. Sed multi tota vita sua ad hoc tendunt, & nunquam per tendunt: quibus tamen si piè & perseveranter conati sunt, statim ut de corpore exeunt, redditur quod in hac vita dispensatoriè est negatum: illuc perducente eos sola gratia, quò prius tendebant ipsi cum gratia, ut consummati in brevi, expleant tempora multa.

7. *Dies devotionis.*

* r Psal. 38. c

Cum dulcedine & delectatione omnia facere paucis conceditur, & quibus.

Illis verò qui ad hanc devotionis gratiam perveniunt, unum videtur restare periculum, & omnino timendum eis à dæmonio meridiano.

Sermones S. Bernardi.

P

Ipse

2. Cor. II. c. Ipse enim Satanas transfiguratur se in Angelum lucis ^a. Hoc ergo timendum ei, qui tanta delectatione omnia facit; ne dum sequitur affectionem, corpus destruat per immoderatam exercitationem; ac deinde necesse habeat, non sine magno spiritualis exercitii detrimento, circa debilitati curam corporis occupari. Ergo ne incurrat qui currit, illuminari necesse est *lumine discretionis*, quæ mater virtutum est, & consummatio perfectionis. Hæc nimirum docet, ne quid nimis: atque hæc est octava dies in qua circunciditur Puer: quia discretio verè circuncidit, ut non plus nec minus fiat. Nam & qui nimius est, fructum boni operis abscidit, non circuncidit, sicut qui tepidus est, si minus facit. In hac ergo die nomen imponitur, & nomen salutis: nec de eo qui sic conversatur dubitem dicere, quod suam ipsius salutem operetur. Usque ad hunc enim diem dicere possunt Angeli, qui norunt secreta cælestia: sed ego nunc primum ei fiducialiter nomen salutis impono. At verò quia omnino rara ista avis est in terris, huius discretionis locum in vobis fratres suppleat virtus obedientiæ, ut nihil plus, nihil minus, nihil aliter quàm imperatum sit, faciatis.

8. Dies discretionis.
Discretio in exercitiis tenenda, ne fiant cum detrimento valetudinis, & spiritus perfectus.

IN EPIPHANIA DOMINI,

De Verbis Apostoli, *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei*, ad Tit. 3. b.

Et de tribus Christi Apparitionibus.

S E R M O I.

^a **A**pparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei ^a. Gratias Deo, ^b Ad Tit. 3. per quem sic abundat consolatio nostra in hac peregrinatione, in hoc exilio, in hac miseria. Super his namque sæpius vos admonere curamus, ut nunquam mente excidat peregrinos vos esse longè factos à patria, pulsos hæreditate. Quisquis enim desolationem non novit, nec consolationem agnoscere potest. Quisquis consolationem ignorat esse necessariam, superest ut non habeat Dei gratiam. Inde est quòd homines sæculi negotiis & flagitiis implicati, dum miseriam non sentiunt, non attendunt misericordiam. Vos quibus non frustra dictum est ^b, *Vacate, & videte, quoniam suavis est Dominus*: & de quibus idem Propheta, *Virtutem*, inquit ^c, *operum suorum annuntiabit populo suo*: vos, inquam, quos non detinet occupatio secularis, attendite quænam sit consolatio spiritualis. Vos qui non ignoratis exilium, audite quia de cælo venit auxilium. ^d *Apparuit enim benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei* ^d. Priusquam appareret humanitas, latebat benignitas. Siquidem & prius erat: nam & misericordia Domini ab æterno est. Sed unde tanta agnosci poterat?

^b Psal. 45. b

^c Psal. 110. b

^d ad Tit. 3. b